Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31651
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

mali. Post hec facultates eorum ipsis conferri iussit. isti autem nichilominus contempnentes dicunt. Non nobis aliquid licet possidere super terram quia possessio nostra in celis est que est eterna. ubi immortalitas regnat. ideoque nulla ratione possumus accipere aurum argentum aut uestes. aut domos. predia. seruos. ancillas. ista enim omnia terrena sunt et neminem morientem secuntur. Quibus cum diceret. Vel aliquid accipite quia pauperes et peregrini estis. isti dixerunt. Non sumus pauperes quia diuicias celestes habemus. Sed si uis ut ad salutem anime tue proficiat census iste. eroga pauperibus debilibus tribulatis. uiduis et orphanis. infirmis. libera debitores qui a creditoribus exiguntur et quod reddere debent non habere noscuntur. eroga publice manum porrigentibus et his qui indigent. nos enim terrenum nichil egemus. Audientes hec Zaroes et Arfaxat magi qui cum rege erant quando hec dux recitauit. excitati in zelo dixerunt. Isti homines maligni sunt et contra regnum tuum subtiliter agunt. Nam si uis scire quia uera sunt que dicunt. non permittantur prius loqui. nisi adorauerint deos tuos. ut merito credas illis. Si uero non adorauerint deos tuos domine rex non permittantur loqui.

Dicit eis dux

Si ausi estis. habete cum eis conflictum. et si uiceritis eos abiciantur. Magi dixerunt. Si nos adoramus deos tuos omnipotentes adorent et illi. Dicit eis rex. Hoc ipsum conflictus uester inueniat. an possint adorare deos nostros. Responderunt magi et dixerunt. Vis uidere potentiam nostram. ut probes quia non poterunt loqui nobis presentibus. Iube astare hic aliquos eloquentissimos uiros. potentes in lingua. acutissimos in argumento. clamosos in uoce. et percipe illis ut habeant nobiscum conflictum. et si ausi fuerint nobis presentibus loqui. probabis nos esse imperitissimos. Tunc iussu regis et ducis omnes aduocati presto facti sunt. et ita aduce admoniti. ut quanta possunt constantia haberent cum his magis conflictum. et eos a defensione proposita excluderent suorum argumento uerborum. Et cum in presencia regis et ducis cunctorumque sublimium magi locuti essent. omnis illa aduocacio ita muta facta est ut nec nutibus quod loqui non poterant indicarent. Et cum unius fere hore spacium transiret. dixerunt magi ad regem. Vt scias nos ex deorum numero esse. permittimus eos quidem loqui posse. sed mouere se non posse. Quod cum fecissent. dixerunt iterum regi. Ecce reddimus eis gressum. sed facimus eos apertis oculis nichil uidere. Cumque et hoc fecissent expauit cor regis et ducis dicentibus amicis eorum non debere contempni hos magos. ne regi et duci hanc inferrent debilitatem in membris. Igitur hoc spectaculo a primo mane usque ad horam sextam expleto. aduocati merore confecti ad suas reuersi domos. nimio animi fatigabantur inpulsu. Dux uero cum haberet apostolos amicos et narrasset eis omnia que dicta. queque fuerant facta. dixerunt duci apostoli. Vt scias nobis presentibus figmenta eorum ualere non posse et ideo timere eos nostram presentiam. iubeat pietas tua ipsos aduocatos ad nos uenire priusquam ad ipsos uadant. et postquam ad nos uenerint ita ingrediantur ad regem. similem habituri